



Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorvm Libri Tres

Liber Tertivs, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Qvadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 13. Quam duri sint, qui exemplo Christi non molliuntur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](#)

Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid posuit satis factio-
nes mundi Reges & Monarchæ nihil sunt. Ille patitur tormenta
crudelissima, dolores, quibus non inueniuntur in hac vita pares;
injurias, quales nemo aliis umquam tolerauit. Et sanè pro ser-
uo nequissimo, ingratissimo, pro mancípio rebelli, pro terræ
vermiculo, cuius non indiget. Ut eum eripiat ex Oceano calam-
itatum, & omnis boni thesauris in cælo locupletet. Idq; summo a-
moris affectu. An nō & nos, hoc quidquid est, mali, quod ex bello
germinat, pro peccatis nostris patiemur? & vel hoc temporis
momento offeremus, dicentes: Accipe omnia Deus, pro pecca-
tis meis? Iustus es, merui & hæc, & plura. Atque vel hinc
agnoscemus, quantum oderis peccata, quæ in hac vita tam seuerè
punis; immo quæ tam atrociter plectis in Filio tuo vnigenito:
numquam enim manifestius ostendisti, quantum detesteris pecca-
ta, quam quando illi, quem infinito amore prosequeris, & tam-
quam alterum te diligis, innocentissimo, qui te numquam offendit,
sed tibi in omnibus obtemperauit, tantum malorum impo-
suisti, neque acquieuisti, donec eum afflictissimum redderes, ple-
num plagis & doloribus inter duos latrones pendentem; non alia
causa, quam quod in se suscepit poenam nostrorum peccato-
rum. Quod si tam immani odio atq; implacabili peccatum per-
sequeris, vt illud in Filio tuo unico, innocentem, tam terribili mo-
do punias, idcirco tantum, quia pro seruo inutili fideiussit, quan-
to odio peccatum in ipso peccante seruo persequeris? An non
dignissimum est, vt ille quoque aliquid, immo multum patiatur?
vt tibi satisfaciat? Vide columnæ alligatum & flagris concisum;
vide spinis caput conuulteratum, vide, mi peccator, in infami
ligno suspensum verum Deum, cæli & terræ Conditorem supre-
mumq; omnium Dominum; tua peccata sunt causa tantorum
eruiciatum, & tam dire mortis. Omnia hæc perfert, vt te à
peccatis tuis emundet, vt poenam exoluat, quam tu ob illa diuinæ
iustitiæ debebas, & vt tu eum tandem amando, ad beatitudinis
tuæ fruitionem perducaris.

XIII.

*QVAM DVRI
SINT, QVI
EXEMPLIO
CHRISTI NON
MOLLIVNTVR?*

Iphis Anaxareten cùm necquicquā amaret, ad fores eius se
suspendisse fertur: quod funus cùm illa siccis oculis aspexisset, fin-
gitur in saxum esse commutata. Christus amore tui, ô anima pec-
atrix, quia cum redamare noluisti, in monte Caluarie suspensus

cxt

Cap. VII. Rhemenium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio? 99

est. Et tu siccis eum oculis intueris? non erubescis? non doles? Ouid. lib. I 40
peccatorum tuorum veniam non petis? nec statuis scelera tua Metam.
poenitentij expiare? ô saxum! ô durum pectus! Diruptæ sunt
petræ in morte Saluatoris, & aperta sunt monumenta mortuo-
rum. Rumpere, & disrumpere etiam tu, ô adamantinum pectus,
quando vides, Conditorem ac Dominum tuum tua caussa hæc
sustinuisse, & quissimum profectò est, vt & tu illius caussa aliquid
patiaris; præsertim, cùm ille ob tua, non sua mala patiatur, par est
vtique, vt & tu aliquid conferas; alioqui meritò illud tibi erit
metuendum: *Si in viridi ligno hac faciunt, in arido quid fieri?* Si Luc. 23, 31;
enim diuina justitia, quæ nihil punit ultra meritum, tanto tor-
mentorum cruciatuumque excessu castigat aliena peccata hume-
ris innocentissimi Filij imposta, quo rigore illa puniet in reo de-
prehensa? Utinam hæc seria mente apprehenderemus! nulla no-
bis nimis grauis poenitentia, vel sponte suscepta, vel à sacerdote
imposta, vel à Deo immissa videretur; nullum nimis asperum
vitæ aut mortis genus esset, quod non pro peccatorum no-
strorum satisfactione, & pro Redemptoris no-
stri honore ac nomine subi-
remus.

Omnia ad maiorem DEI gloriam, & con- versionem peccatorum.



N 2

INDEX